

THE DEATH OF CICERO (43 B.C.) (apud Seneca, Suas. 6.17)

The situation in Rome after Caesar's assassination in March 44 B.C. was exceedingly complicated. Cicero, intending to resurrect the influence of the Senate, attempted to use the young Octavian (adopted son of Caesar and later Augustus) against his sworn enemy Marc Antony. When Antony, Lepidus, and Octavian joined forces in late 43 to form the Second Triumvirate, Cicero's name headed the list of those to be executed. He was killed while attempting to flee to the East.

- 1 M. Cicero sub adventum triumvirorum cesserat urbe, pro certo habens id
- 2 quod erat, non magis Antonio eripi se quam Caesari Cassium et Brutum
- 3 posse. Primo in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum,
- 4 ut ab Caieta navim consensurus, proficiscitur. Unde aliquotiens in altum
- 5 provectum cum modo venti adversi retulissent, modo ipse iactationem navis
- 6 caeco volvente fluctu pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae
- 7 cepit; regressusque ad superiorem villam quae paulo plus mille passibus a
- 8 mari abest, "Moriar," inquit, "in patria saepe servata." Satis constat servos
- 9 fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam et
- 10 quietos pati quod sors iniqua cogeret iussisse. Prominenti ex lectica
- 11 praebentique immotam cervicem, caput praecisum est.

- 12 Nec satis stolidae crudelitati militum fuit. Manus quoque, scripisse in
- 13 Antonium aliquid exprobrantes, praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium
- 14 iussuque eius inter duas manus in Rostris positum; ubi ille consul, ubi saepe
- 15 consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta numquam humana
- 16 vox cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attolentes pree lacrimis
- 17 oculos homines intueri trucidata membra eius poterant.

- 18 Vixit tres et sexaginta annos, ut si vis abfuisset ne immatura quidem mors
- 19 videri possit. Ingenium et operibus et praemiis operum felix; ipse fortunae
- 20 diu prosperae et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus,

21 exsilio, ruina partium pro quibus steterat, filiae morte, exitu tam tristi atque
22 acerbo. Omnia adversorum nihil ut viro dignum erat tulit praeter mortem;
23 quae vere aestimanti minus indigna videri potuit quod a victore inimico nil
24 crudelius passus erat quam quod eiusdem fortunae compos ipse fecisset. Si
25 quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus ac memorabilis fuit, et in
26 cuius laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit.